CATALOGVS LECTIONVM ET OPERARVM

BONO CVM DEO
IN GYMNASIO
THORVNENSI
PERTRACTANDARVM
AVCTORITATE NOBILISS. ET AMPLISS.
SCHOLARCHARVM
CIRCA TEMPVS PASCHALE
PVBLICATVS
ANNO cIↃ IↃCCXVIII.

THORVNII,
Impressit Ioh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typograph.

PETRVS IAENICHIUS, *Gymnasii Rect. & P. P.* In Explicandis B. DIETERICI CATECHETICIS PRAECEPTIS pervenit fere ad finem, ne itaque abrumpatur filum, curabit omnino, ut brevi expediat, quae restant. E re autem discentium iudicavit fore, uti eodem ordine & ratione, qua coepit, instituat repetitionem, atque A PRINCIPIO HANC RELIGIONIS CHRISTIANAE SVMMAM, ad scripturae S. normam undiquaque accommodatam inculcet REPETITAM, eademque dexteritate continuare bono cum DEO pergat. Ita confirmari non magis in doctrinae salutaris scientia poterunt iuvenum animi, quam vitae, cuius potissimum est ratio habenda, quotidie emendandae reperient fundamenta, facessente omni de insidiosa novitate querela aut de immutatae pietatis & morum formae suspicione.

In HISTORIAE ECCLESIASTICAE STVDIO ordo nos perduxit ad Seculum ante aliquot annos elapsum, cuius seriem eadem dexteritate exponet, ac fata, quae coetui diviniori evenerunt, persequetur, ut vel inde quae & qualis fuerit ac sit Dei in Ecclesia gubernatio, accuratius omnibus ac quidem praesertim Supremae Classis Auditoribus constet.

Quod *coniunctis* commode *classibus*, Suprema scil. & Prima fieri non potest, ita una hora per hebdomadam, solos exercebit primanos *in Dictis Biblicis* ediscendis, collato *textu avthentico*, ut nervum probandi in propositis thesibus theologicis videant rectius atque in observandis textus emphasibus fiant acutiores. Neque minus *Styli profectus* in iisdem explorabit, atque *extemporali* argumento, uti iam magno cum commodo coepit eorum ingenia exacuere aut confirmare studebit.

Privatim non recedet ab illa fide, qua nonnullis boni ingenii iuvenibus probatae elocutionis & ornatae fontes aperire conatus est, ut *aptum idoneumque Orationis genus* acquirant. Propediem quoque ad CL. HVBNERI *ductum* ac praecepta comparandae eloquentiae exempla proponere pluri-

cepta

bus pollicetur. Coniunctum cum his tradendae *Historiae* laborem, utilem iuxta ac iucundum non deseret prius, quam absolverit omnia, quae ad normam illustris *Pufendorfii in Introductione ad historiam afferenda* censebuntur. Ceterum, si permiserit tempus, fundamentis *Theologiae moralis* tradendis aliquot horas non tantum prompta quam hilari mente impendere Auditoribus pollicetur. Protegat nos & nostram civitatem Deus sua gratia, ut omnes temporum iniurias & impendentem fati vim feliciter & aequo animo superemus.

GEORG. PETRVS SCHVLTZ, D. & P. P. O. præterito anno *Supremae Classi* COGNITIONEM CORPORIS HUMANI MEDICO-PHYSICO-HISTORICAM *publice* inculcare incepit, usus hac methodo, ut I) Structuram & Fabricam naturalem eiusque usum docuerit, II) varia notatu digna ex Medicorum, Physicorum & Historicorum Scriptis collecta cum Auditoribus communicaverit, ne pura puta Medica tractatio tædium crearet; Sic, e. g. cum OCULOS & AURES medice & physiologice consideraverat, discursu suo illustrata sunt Singularia sqq. *Vnoculi & Argus: Splendores oculorum admirandi: Oculi artificiales: Lux ex oculis erumpens: Oculi profani: Oculos liniendi mos & effodiendi, nec non claudendi moribundis: Significatio hieroglyphica: Oculus solis: Lachrymae sangvineae & Lapidescentes: Lachrymae Sagarum & Crocodili: Fletus Heracliti: Lachrymatoria veterum: Animalcula in Albo oculi: Vermiculi ex angulis oculorum proserpentes: Cœci sapientia & eruditione clari: Cœci de colore iudicantes: Cœci per nasum videntes & omnia cognoscentes &c.* Porro: *Ritus perforandi aures & abscindendi: Ritus aures trahendi & vellicandi testibus: Inaures, & Fenestrae aurium: χύτρα: Cornua ex auribus & circa aures: monstrosae aures & pro arbitrio mobiles: Varia ex auribus germinantia: Surdus loquens, &c.* Et has Lectiones ad finem usque continuabit, quo imposito THESES PHYSICAS, Anno 1716. quas in usum studiosæ iuventutis Thorunensis in lucem emisit, & privatim hactenus explicuit, posthac *Supremanis* publice illustrabit paullo uberius. Iidem Supremani loco JURIS NAT. ET GENT. cuius expositio ad finem properat, imposterum

rum POLONIÆ ET PRUSSIÆ JUS PUBLICUM UNA CUM HISTORIA ET GEOGRAPHIA audire poterunt. *Coniunctis Classibus*, ut loquimur in SCHRADERI TAB. CHRONOLOGICO-HISTORICIS perget, ab Imperatore Cunrado Salico ad successores progressurus: nec non in *Prima Classe* seorsim M. T. CICERONIS EPISTOLAS AD FAMILIARES per Versionem, epistolas & chrias maxime commendatas relinquet. Quod ad *Privatas* adtinet *Lectiones*, minime fugit auditores omnes ac singulos, quas disciplinas & Scientias audiverint non sine incremento illi, suæ fidei qui se tradiderunt, nec unquam deerit discendi studio flagrantibus. Feliciter!

REINHOLDUS FRID. BORNMAN, P. P. O. *Hermeneuticam* anno superiori Prælectionibus in AUDITORIO SUPREMO publicis adsignavit & iactis *Logicæ* fundamentis superstruere sustinuit, quando naturam sermonis & indolem investigare cœpit; qua occasione in Latini Sermonis indolem speciatim inquirere, Auditorum ex re esse putavit, unde summa & præcipua momenta, quæ cultura illius complectitur, fuit persecutus & in Compendio *Historiam Latinæ Linguæ Criticam* tradidit, cui Theses ad disputandum ordinatim applicavit. His ferme confectis & absolutis *Criticam* continuare constituit, quam aliquantum differre coactus fuit, ac sua non minus, quam Auditorum interesse judicavit, sententiam illam probabilem de *Pluralitate Mundorum*, quam diss. Philosophica An. 1715 publice proposuit, repetere pluribusque explicare, inde etiam Thesium probabilium heptadem disquisitioni iterum publice subjecit. E quibus ingenuis omnibus pateret, quæ mens autoris esset in Controversia hac tantum philosophica, atque ita omnis in posterum cavillandi præcideretur ansa. Nunc iterum in eo versatur, ut Auditores Amantissimos doceat: *Hermeneutices* subsidio e scriptis monumentisque Auctorum,

sive

ſive ſacrorum, ſive profanorum, veritates eruere latentes ſenſumque genuinum cuivis deſignare. Diſſertationes cyclicas eidem doctrinæ accommodabit. In Mathematicis ſcientiæ *Gnomonicæ*, *Staticam*, dehinc *Aſtronomiam* ſubjunget.

In Prima Classe hor. Mathem. *Euthymetriæ* Theoriam cum praxi abſolvit, nunc *Epipedometriam* tradit, quam *Stereometria* proxime excipiet. In Stylo *doctrinam Period.* per præcepta & praxin ſolutæ ligatæque orationi formandæ commodam, ratione ſtructuræ exercuit, nunc, quæ *Ornatum Periodi* attingunt, ſedulo conſiderat, quibus ad finem perductis *Chrias Ordinatas* & *Inverſas* utroque ſermonis generi aptare docebit. Ex Poetis *Virgilium*, qua conſvevit methodo, continuabit.

Secundanis *Fundamenta fidei & Religionis* ex præceptionibus D. Conr. Dieterici ſiſtit ſingulaque ad normam ſcripturæ examinans, curam inprimis intendit, ne in nuda intelligentia rerum, ſubſiſtendum credant, ſed vitam ſimul in fide vera emendatā agere, adoleſcentes diſcant, dicta quoq; Claſſica ex textu Orig. græco ediſcunt. Iisdem *Orationes Curtianas* exponendas, vertendas, imitandas, ediſcendas & recitandas ſubminiſtrat.

Auditoribus tandem Privatis ex *Selectis Ciceronis Orat.* quatuor explicavit, in quibus ſtili non minus, quam latinitatis rationem habuit, cumque plurimi eas mandarint memoriæ, alteram illarum circa ferias proximas Actu Publico, reliquas in ſubſequentibus, ſi inſtitutum juſtos invenerit cenſores, repræſentabunt, ut ſic utriusque eloquentiæ, interioris, quæ animi, & exterioris, quæ corporis dicitur, Patronis, Parentibus vel Amicis exhibere ſpecimina poſſint. *Reſiduas* in poſterum ſolide explanabit, quæque hactenus imitationum extemporalium repetitionumque adhibuit exercitia, *dilatationis & amplificationis Rhetoricæ* exercitationibus haud pridem commutavit. Ex *Epiſtolis ad Fam.* quæ reliquis

præ-

præſtant & juventuti explicari poſſunt, ſelegit & libros X. pertractavit, ex quibus phraſes præcipuas ac dictiones notari, nonnullas in vernaculam transferri, plurimas imitari curavit; aliquas etiam integras, per partes alias, pro qualitate rerum vel locutionum ediſcendas, commendavit. Quæ reſtant methodo eadem pertractabit, niſi, quod cum iis, qui aliquem ex his prælect. in literis latinis proceſſum habent, *liberiorem* quam dicunt *imitationem* ſit ſuſcepturus. *Stili* inſuper *ligati, Logicæ* & *Rhetoricæ*, quam ſcholis privatis decet, habebit curam. *Græcæ* præter ea, etſi qui fuerint audituri, *Hebraicae Lingvae* operam pollicetur, nec in aliis eandem denegabit.

Faxit D. O. M ut nullo externo hoſte, nullis inſidiis, nullis tumultibus appetitum Gymnaſium hoc illuſtre libertatem, Religionem, ſalutem & ſartam tectam in hoc usque temporis incolamitatem conſervet porro ac tueatur & ad ſeros olim nepotes ac poſterorum memoriam transferat ſempiternam.

JOANNES ARND, Prof. Publ. Ordinariis in *Suprema Claſſe* lectionibus, ea Juris capita, quæ Inſtitutiones Juſtinianeæ ſuggerunt, perſequitur, & quidem potiſſimum ex principiis Juris Nat. quanquam in titulis, de *Nuptiis*, *de Succesſione ab inteſtato* & *de Contractibus*, eorum quoque, quæ Jus Civile ſpeciatim Prutenicum exigit, rationem habeat, ex *Vſu hodierno Comment. Hopp. ad Juſtit.* Quas lectiones quotannis continuabit inque orbem circumaget. In *Diſputationibus*, ex Veterum Inſtituto *circularibus*, præter alia, *Exercitationes Collegii Puffend.* continuat, quarum ſequentes jam prodiere: (I) *De Opere Pufend. J. N. & G.* (II) *De Geometrica Juris N. demonſtratione.* (III) *De Actione Morali.* (IV) *De Exiſtentia Juris N.* (V) *De Definitionibus Juris N.* Promiſſam de Auroris BorealibusDiſputationem, in *Schediasma* commutavit, quod *Aurorarum Borealium anni* 1716, 1717, 1718, *obſervationes, confirmationes, explicationes, & ſignificationes* diſtinctis capitibus ſiſtit. Iis porro Lectionibus, quibus ſtudioſorum animi ad pietatem probitatemque peculiariter inſtruuntur, & ad publicam, quæ ſingulis annis, ex more antiquo, a

Gymna-

Gymnasii Civibus bis agitur, pœnitentiam commoventur, materiam certam; de fiducia inDEum, & Amore erga proximum, substravit, atque edidit, sub tit. *Lectionum Sacrarum* quibus etiam posthac inhærebit novisq; eas augebit annotatis, quæ ad officia utriusque tabulæ Mosaicæ exprimenda faciant. *Collegium Disputatorium*, quod præceptis accurate & modeste disputandi jam communicatis inchoavit, post aliquam intercapedinem continuabit, per creberrima exercitia, quibus inservient *Theses de tempore, tam Theologicæ, quam Politicæ nec non Physicæ ac reliquarum Disciplinarum.*

In Prima Classe, ad veritatem per omnes Disciplinas inquirendam, atque intellectus operationes perficiendas, operam suam Auditoribus præstat, in *Regulis Logicis*, quas brevissimis verbis in calamum tradit, atque sermone prolixiore per exempla plurima explanat confirmatque. Quin omnem curam impendit, ut iuvenes habitum veritatem ubique sectandi, perspiciendi cumque aliis communicandi feliciter consequantur, sine quo hodie plurimus Eruditorum numerus in errores turpissime abripitur litesque fere infinitas. Nec non hisce Lectionibus mox junget usum, ad syllogismos ex medio termino quocunque prompte & accurate formandos. Qvum etiam præcepta pro argutis *elogiis s. inscriptionibus* absolvit, quibus simul figurarum selectissimarum compendium, quod orationibus exornandis inservit, continetur; rursus ad *Panegyricum Plinii* animos diligentiorum revocavit, atque ex hoc, tam pulcherrima Politices capita demonstrat, quam etiam puritatem ac elegantiam latini sermonis.

In Secunda Classe, *Epistolis Plinii* inhæret, vertendo, explicando, examinando, ac denique res sententiasque morales excerpendo.

Tu, DEUS clementissime, in hac bonæ mentis officina, Doctores discentesque serva, rege, defende, propter Nomen tuum.

IOH.

JOH. FRID. BACHSTROHM, P. P. Extraord quod superiori anno factum Auditoribus primæ Classis binis per septimanam horis, ad recte capiendam eloquiorum divinorum Structuram & significationem in Evangelio Lucæ explanando occupatus est, ubi Styli græci genium cum Tractatione Grammatica & Analysi pro virili exponere studet, hoc labore ad finem perducto ad Epistolarum Paulinarum explicationem eodem modo divini Numinis gratia transibit.

SECUNDANOS autem, præter rudimenta hujus lingvæ ad ductum Pericoparum Evangelii tradenda, styli & elegantiæ latini sermonis rationem docebit, ducente Cornelio Nepote auctore ætatis aureæ elegantissimo. Applicationem vero seu Exercitia ex Historia Monachiarum Franckii desumta sedulo inculcabit: additis, quæ ex eodem Auctore notitiam Historiæ promovere possunt.

PRIVATIS Lectionibus in Collegio Physices fundamentali ad ductum Michaelis Bernhardi Valentini perget. Eodem tramite Collegium utriusque Architecturæ ad finem perducet, adhæc reali quodam Schemate seu exstructione loci cujusdam muniti ad mensuram minutam Auditorum animos recreabit, diligentiamque eorum accendet. Nec non in Gallico & Polonico Sermone nonnullos exercitabit, imo aliis artibus Studia Auditorum cupidiorum promovere pollicetur. Lectionibus vero privatis in gratiam Secundanorum institutis præter explicationem & Applicationem Cæsaris in repetenda Geometria theoretica & practica perget, eademque familiarissima facta, ad Trigonometriam Methodo summe facili tradendam progredietur. Præterea repetione lectionum publicarum ex Cornelio Nepote ad Styli confirmationem summe necessariam, item Geographiæ cognitione utilissima, prout hactenus factum est, animos eorum imbuet.

Addat calculum summi Numinis gratia, ut iis, quæ hactenus impedimento fuerunt, sublatis, quocunque modo promoveatur eius gloria & utilitas publica.

Coniunctis Classibus Superioribus quavis die Mercurii iuxta Professorum ordinem disputandi exercitium instituetur. Secundani autem ab hora II. ad III. in Arithmetices argumentis exercentur.